textu hoc elicuit, vide Danhauer. *p. 6. Cat. lac. pag. 404.* Quousque cœlorum contemplatio perducere possit hominem irregenitum, docere poterit Cicero *l. 2. de nat. Deor.* & Aristot. *l. 7. & 8. acroas.*

מספרים *enarrant:*) h. e. clarè, indesinenter omnique velut impensâ operâ testantur, adeoq; omnem mundi incolam permovere satagunt. Verbum enim סִפֵּר *numeravit*, in piel, (ubi significatio intenditur, p. 15.) est *enumeravit*, vel numeratim ac factâ velut computatione recitavit. Includitur enim attentio ac continuitas, v. g. *Psal. XLIV*, 2: patres narraverunt nobis. 2. *Reg. VIII*, 4. recense mihi facta Elisæ, &c. Hinc etiam nomen סֹפֵר *scriba*, γραμματεὺς, tanquam notarius publicus, recensens acta publica, 1. *Reg. XII*, 10. *Esth. III*, 12. Ponitur hîc participiũ pro præsente, q.d. enarrant quovis die ac horâ. Per prosopop. autem cœlis tribuitur sermo, quatenus nimirum objectivè idem præstant, quod aliàs præstat loquens verba articulata. informant enim ac convincunt intuentem. Quare Chaldæus pulchrè: דְּמִסְתַּכְּלִין *qui considerant cœlos, recensent gloriam Dei.* Sic dicimus: opus laudat artificem. Sic *Job. XXXVIII, 7:* stellæ matutinæ cantant; *Psal. CXLVIII, 3. seq.* *Rom. I, 20.* δύναμις *Sap. XIII, 4. 5. Job. XII*, 8. loquitur terra *Jes. LIV*, 12. arbores plaudent כַּף manu. Maimon. *Mor. nev.* p. 2. c. 3. item in *Jad. chas.* tit. דעות c. 3. ineptè ex textu hoc colligit, orbes cœli esse animatos. *Gerh.* exeg. p. 670. probat hinc notitiam Dei naturalem: quicquid enim materiam divinæ laudis suppeditat hominibus, ex ejus intuitu non solùm divina essentia, sed & sapientia, bonitas, &c. conspicitur: Atqui creaturæ laudant Deum objectivè. E. Et quamvis excipiat *Socinus*, hæc dici tantum de populo Dei jam conscio; Respond. tamen, (1) agi de omni sermone & lingua *vers. 4. 5.* (2) quousque cœlum, eò usque & Dei præconium. vide Gerh. *l. c.* & Calov. *t. 2. system. LL. p. 31. 67. & theol. nat. p. 116. seq.* Hornb. *contra Judæos p. 316. seqq.* Hakspan. *not. phil. p. 76. seq.*

כבוד *gloriam Dei:*) h. e. quam potens, sapiens, misericors, providus, ac infinitæ prorsùs majestatis sit, utpote, qui tam eleganter, mirabiliter ac ordinatè, tam salubriter in usus hominum creaturarumque omnium sublunarium, tam vastam composuerit machinam, constanterque eandem servet adhuc hodie.

ומעשה *& opus manuum ejus indicat firmamentum:*) h. e. firmamentum indicat, quæ & quanta operari queat Dei manus sive potentia: vel indicat, se non esse à se ipso, multò minùs ab ullo homine vel angelo, sed se esse opus manuum Dei. Est hîc synchysis, sive transpositio subjecti & prædicati, sicut *Psal. V, 5. 10. Psal. IX, 16. Coh. VII, 7. &c.* non verò appositio, quam vult Socinus hoc modo: & opus manuum ejus (nempe) firmamentum indicat (gloriam Dei.) Verùm ostendi debet exemplum hujusmodi appositionis, ubi participium vel aliud quid prædicati gerens vices, interponatur ejusmodi nominibus per appositionem cohærentibus, vide Gerh. *exeg. L. de Deo* §. 67. Stegman. *antiphot. d. 3. quæst. 2 p. 24. seq.* Deinde מַעֲשֵׂה *opus*, videtur hîc poni pro facultate operandi, vel pro opere κατ' ἐξοχὴν insigni; aliàs enim nihil peculiare hîc diceretur; firmamentum indicat opus.

ידיו *manuum ejus:*) h. e. potentiæ ejus infinitæ. Manus enim per anthropop. DEO tribuitur sæpe. A buta, designat virtutem ipsius operandi promtam, fortem, sapientem. ut *Psal. VIII, 7:* præficies eum operibus manuum tuarum *Psal. XCV, 5. Jes. XI, 11. &c.* Ineptè Celsum collegisse ex textu hoc, Deum constitui opificem velut manuarium, defatigari, &c. notavit Orig. *l. 6. contra Celsum f. m. 765.*

מגיד *indicat:*) veluti coram, (נֶגֶד) liberè, clarè ac perspicuè, quomodo annunciari solent ea, quæ aliquis præsens intuitus est. Sic ergò pulchrè Cœli appellantur Notarii vel Professiores publici, quotidie hominem excitantes ab oblivione tantorum operum. Quàm fortiter autem hîc inculcetur notitia Dei naturalis, ex creaturarum consideratione acquirenda, docet inter cæteros D. Calov. *t. 2. system. pag. 31. §4. 67. seq.*

רקיע *expansum firmamentum:*) cujus scilicet nomen est שמים *Gen 1, 8.* Est verò hæc appellatio cœli ab expandendo; nam רָקַע est *dilatare* aliquid instar laminarum aut bractearum, quas aurifices diducunt malleô: *Num. XVI*, 29. (lam. Kor.) *Exod. XXXIX, 3. Psal. CIV*, 2. *Jes. XL, 19. 22.* (tanquam aulæa.) Sic ergò cœlum quoque super universum orbem terrarum undique expansum. Luther. *in comm. German. f. 18. b.* wie eine Schweins-Blase. vide Füller. *misc. l. 1, c. 6.* Eadem res diversis repetitur titulis, ad eandem eò meliùs constantiusque perpendendam. De aëre accipiunt h. l. *Chald.* & *Aben Esra.* sed refutantur per sequentia. Sol enim non in aëre. *Muis.*

EXPLICATIO VERSUS III.

יום *dies:*) h. e. lux illa diurna; vel ordinatum, constans ac invariabile diei tempus testatur de Sapiente architecto, tempora luce quotidie adhuc gubernante, &c. *Vatabl.* dies diem docet, quàm potens sit Deus. *Hæpfner.* mysticè de continuata evangelii prædicatione, sicut *Ps.* 1, 2. pius diu & noctu, &c. *Diem* de apprehensione rerum per sensum, *noctem* de meditatione rerum per sensum, *noctem* de meditatione rerum visarum accipit *præ-Adam.* Danhauer. p. 218. vide ibidem plura.

ליום *diei denunciat:*) h. e. committit quasi eidem suum officium, à se jam hodie absolutum, ut subsequens faciat simile, vel *dies post diem; &c.* quomodo *Psal. XCVI*, 2. annunciat מיום ליום. (ל) valet quandoque etiam *post:* ut 2. *Par. IX, 21. &c.*

ויביע *copiosè ac constanter*, instar fœcundæ cujusdam scaturiginis, *protrudit, emittit:*) Verbum hoc נבע in Kal semel tantùm habetur *Prov.* XVIII, 4. נחל נבע מקור חכמה. In hiphil est *eructare*, copiosè *ebullire, proferre*, instar מבוע *scaturiginis*, v. g. ænigmata *Psal. LXXVIII, 2.* spiritum animi *Prov. I*, 23. stultitiam aut malitiam *Prov. XV*, 2. 28. &c.

אמר *verbum:*) sc. de gloria Dei, vel gloriosâ ejus majestate, ex *vers. 2.*

לילה *nox:*) h. e. nocturnus lunæ stellarumque splendor.

יחוה *indicat:*) verbum hoc non nisi à Jobo usurpatur, nempe *c.* XV, 17. *c.* XXXII, 6. 10. 17. *c.* XXXVI, 2. & semel à Davide h. l. *R. Nathan* exponit הגרה indicationem. *Bellarm.* nox cum finitur, annunciat nocti succedenti scientiam laudandi Deum; atque ita jugiter dies ac noctes ducunt quasi choreas, DEUMque laudibus celebrant. *Vatabl.*